
1586 MICHAEL VON ISSELT:

VOM KÖLNISCHEN KRIEG

-11-

Gebhardus vero in tanta dignitate constitutus & confirmatus, paulatim luxui se mancipans, de pristina virtute plurimum coepit remittere, aere alieno grauari, nihil tali principe dignum agere. Male a plerisque audiebat, & plurima de illo spargebantur, quae quia suspiciones & coniecturae suorum aemulorum credebantur, spreta sunt. Illud autem omnib[us] manifestum fieri incipiebat, quod in scortorum & concubinarum choro assiduus erat, qua vitae impuritate, maculam gloriae sui nominis inferebat: quam vt nouo suco tegetet, venenumque quod iam pridem in animo conceperat occultaret, resque suas eo magis pro voto suo et animi sententia, confirmaret, Sacerdotio se initiari fecit, hoc titulo pristinam existimationem volens conservare. C(a)eterum muliercularum illecebris delinitus, tandem in amorem cuiusdam virginis Vestalis, e familia Comitum Mansfeldensium, nomine Agnis, incidit: quam tam perditae adamabat, ut eius consuetudine carere non posse videretur. De cuius amoris initiis haec circumferuntur. Erat haec Agnes Canonissa - vt vocant - in Monasterio Girisheim, ubi Ecclesiastica praebenda gaudebat. Anno vero [15]78 circa hyemem, visendae sororis gratia, Coloniam profecta est: vbi tunc soror eius Maria, quae breui Petro Ernesto Baroni a Kreichingen nupserat, apud civem quendam diuersabatur. Mansit apud eam Agnes menses plu-

-12-

rimos, donec sequenti anno, Principes vtriusque Germaniae, pacis inter Philippum Regem Hispaniarum, clementissimum Dominum nostrum et ordines Belgicos componendae causa, Coloniae conuenirent. Venit eodem forte Fortuna Nigromanticus quidam insignis Italus, nomine Scotus. Hunc confestim in sui tutelam suscepit Coloniensis Archiepiscop[us] Gebhardus, plurimum illius illusionibus, spectaculis & phantasmatis delectatus. Maleficio istius Nigromantici, in amorem huius Agnetis praecipitatus esse dicitur: vt qui in speculo faciem illius, Electori adhuc ignotae, repraesentasset. Familiaritas huius Nigromantici passim nota est omnibus. Sunt tamen plures, iique graues viri, qui quod per hunc Gebhardus in notitiam Virginis venisset, fabulam esse vulgi arbitrantur, cum iam ante illam Gebhardo cognita fuisse affirmant. Vtvt est, hoc constat, conceptam semel flammam Coloniae tunc temporis familiaritate fotam(?) increuisse. Paulo post eodem adhuc anno Petrus Ernestus cum coniuge sua Maria, & eius sorore Agnete, in Thuringiam (vnde erant oriundae) iter instituit, vt novos affines suos inuiseret. Decimo quinto igitur Septemb. sub vesperem, Bruelam, oppidum Germanico milari Colonia distans (vbi Archiepiscoporum Palatium est, & tunc temporis Gebhardus commorabatur) veniunt. Ea fama mox vt ad Archiepiscopum per-

-13-

lata est, eos ad se in arcem vocat: ipsi vero (quia nox aderat) venire recusabant: vinum igitur & cibaria mittuntur ipsis ex arce, & in sequentem diem ad prandium vocantur. adsunt hora constituta: mensae accumbitur: epulatur: potatur: saltatur: multi inconditi gestus: multi lasciui aspectus: multi petulantes contactus hinc inde. Protrahitur is lusus in multam noctem. Singulis tandem sua cubilia assignantur. Gebhardus vino inflammatus, amore dementatus, noctisque & tenebrarum oportunitate inuitatus, Agnetem post multa de amore suo colloquia, tandem ad suum cubiculum, aliis vino somnoque sepultis, perduxit: totamque ibi noctem solus solam detinuit. Hoc furtum multis sequentibus noctibus commissum est: primumque ab Agnetis pedissequa, & Gebhardi Cubiculario (cui profundum silentium ipse credebat) detectum est. Post septimanas vero duas, in Thuringiam pergit Baro cum coniuge. Agnes vero ipsis salutatis aut valedictis, in Muers ad Comitem Nuenarium se recepit. quam non ita diu post Gebhardus subsequitur, & aliquamdiu apud Comitem

permansit. Inde Caesaris Vverdam [=Kaiserswerth] profectus, Agnetem clanculum ad se vocauit, eamque septimanas aliquot in Arce latitantem detinuit paucissimis huius rei consciis. Post paucos de inde menses, Petrus Ernestus eiusque coniunx e Thuringia reuersi sunt, quib[us] gratificari volens

-14-

Archiepiscopo, Cancellariam (vt vocant) Bonnensem ipsis habitandam dedit. Relicto etiam Nuenaro, Agnes Bonnam sorori & marito reditum gratulatura, & apud eos permansura, celeriter contendit. vbi pariter vsque ad annum [15]82. ad aduentum s. Ducis Ioannis Bipontini, commorati sunt. Hac de causa Gebhardus crebrius, quam antea solet, in arce sua Poppelstorff, quae in agro Bonnensi est, Aulam suam habuit: quotidie Agnetem inuisebat, aut inuisebatur ab illa: iucundas apud inuicem moras trahentes. Consuetudo & familiaritas metum & pudorem extinxit. ita vt diutius celari furtium hic amor non potuerit, fama quoque id inuidente, quae statim multiplici populos sermone replebat. Quid faceret hic Princeps natura quidem (vt videbatur) non malus, sed amore caecus? Sero enim meminerat [verborum] istius Lucretiani:

Nam vitare plagas in amorem ne iaciamur.

Non ita difficile est, quam captum retibus ipsis.

Exire, & validos Veneris dissoluere nodos.

Quid inquam hic faceret? sollicitat foemina, titillat caro, mordet conscientia: si non ducat [in matrimonium], flamma quotidiana: si ducat, angustum patrimonium, dos nulla, Archiepiscopatus relinquendus erat: nec per vim eum retinendi facultatem vidit. Tandem cum turpe hoc facinus fratribus Mansfeldicis, innotuisset, maximo ex tanta indignitate, dolore, furoreque correpti fuerunt: adeo vt Comes Hoierus senior, & Patris in co-

-15-

mitatus administratione successor, sorore propria manu confodere minaretur, vt quae tanta macula domum & familiam Mansfeldicam aspersisset. Sed duro huic nodo tandem cuneus inueniendus erat: magnis itinerib[us] ad Gebhar[dum] proficiscuntur, cum stomacho rogantes eum, qua temeritate & audacia, Virginem tam generoso & illustri natam sanguine constuprasset? & post multa dentata conuicia, tandem ei minantur nisi Episcopatu renuncians, sororem ipsorum, quam tam foedo concubitu commaculauerat, Christiano matrimonio cohonestaret, se rationes inuituros, ne sacrilegium istud maneret inultum.

Gebhardus itaque videns iustam illorum indignationem in Aula magna Cancellariae Bonnensis, praesentib[us] Agnetis fratre Petro Ernesto Comite Mansfeldiae, & Petro Ernesto Barone a Kreichingen, cum vxore Maria: aliisque nonnullis, e nobilitate sua viris fidem dedit, se relicto Archiepiscopatu, Agnem sibi casto & stabili matrimonio iuncturum. Facta sunt haec initio anni 82. post millesimum quingentesimum. Erat quidem in ea tunc opinione Archiepiscopus, honorem vt deponeret. Sed is, cuius instinctu in praecipitium hoc inciderat, hostis humani generis, huic tam laudabili Dioecesi infestus, ratus se occasionem nactum, iram suam nunc tandem in hanc Ecclesiam euomendi, omniaque sursum & deorsum vertendi, aliud meditabatur. Intercedebat

-16-

Archiepiscopo magna familiaritas cum Comite Solmensi, Nuenario, aliisque Caluiniani dogmatis hominibus. Illi nequaquam propter matrimonium Electoratus atque Archiepiscopatus dignitatem relinquendam esse aiunt: non repugnare sacerdotium & matrimonium persuadent: Sacras lit(t)eras & Imperii constitutiones, pro hac sententia militare dicunt. Mulier quoque (quae maioris erat apud ipsum auctoritatis, quam omnes Ecclesiae Canones & decreta, omniumque patrum definitiones) quotidianis blanditiis eum non difficulter in hanc sententiam pertraxit: in affectuum enim atque perturbationum imperio, exulat omnis ratio, sanumque iudicium. Visum itaque fuit (vt ad scopum hunc perueniretur) Religionem mutare: idque non statim, sed per occasionem faciendum esse: interim Gebhardus occultis voluptatibus frueretur.

Fundstelle: Bayerische Staatsbibliothek